

96. Quid igitur? Cuinam parti subscribendum tandem fuerit? Nempè medio tutissimus ibis; & ἐποχὴ pia rectissimè hanc litem dirimet, quæ in sensu futurae experientiae, quàm divinationum οὐκ ἔστι certiores questionis huius solutionem statuit.

97. Ἐπίκρισιν tamen nostram si quis requirat, probabiliorem nobis eorum videri sententiam respōdemus, qui modum hunc aeternae generationis Filij in tali cogitatione Patris, & contemplatione sui ipsius, quæ sui ipsius imaginem abstractat, eidemq; sic abstrahendo Essentiam communicet; consistere vel plane negant, vel certe admodum sobriè & cautè explicandum esse suadent.

98. Etsi enim concedi potest, imò prorsus credendum, Filium DEI λόγον appellari, non duntaxat vel creationis, vel externi officij: Sed & aeterni Patris, & quidem huius ipsius generationis respectu: inde tamen statim dictum Generationis modum velle extruere, minimè fuerit Consequens.

99. Nam quamvis scriptura, ad captum intellectus nostri συγκαταβαίνων, in describendis huiusmodi Mysterijs, ijs utitur vocabulis ut, λόγος, ὑποστάσεως &c: quorum usus in vita etiam humana obtinet: minimè tamen imagines & similitudines, vel ratiocinationes ex ijs, secundum

dum